

Br 646C

GUY

g

Monsieur le ~~e~~ seur Delvaux
de la part de l'Auteur

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

STUDII PSYCHOLOGIÆ IN MEDICINA

UTILITATE ET NECESSITATE,

QUAM,

EX PRORECTORIS MAGNIFICI P. J. DESTRIVEAUX,

ET SENATUS ACADEMICI AUCTORITATE,

PRÆVIO FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN UNIVERSITATE LEODIENSI

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT,

Die 7 mensis Augusti 1825, hora 3^o

AUCTOR

PHILIPPUS CAROLUS SCHMERLING, DELPHENSIS.

LEODII, TYPIS P. J. COLLARDIN, TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCXXV.

ADICITEM SIT FABRICA AUS OFFICIALE

ADICITEM SIT FABRICA AUS OFFICIALE

ADICITEM SIT FABRICA AUS OFFICIALE

Le Specimen sera soumis à la censure de la Faculté, afin de s'assurer qu'il ne s'y trouve rien de contraire à la tranquillité publique et aux bonnes mœurs; chacun étant, du reste, libre de présenter au public les résultats de ses opinions, sans que, pour cela, ils puissent être considérés comme ceux de la Faculté ou de l'Université.

Art. 56 du Règlement.

OPTIMIS FACULTATIS MEDICÆ

PROFESSORIBUS

ANSIAUX, COMHAIRE ET SAUVEUR,

NEC NON

VIRO SUMME VENERANDO

IGNATIO DENZINGER,

IN UNIVERSITATE LEODIENSI PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ

PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO,

HASCE PAGELLAS DEDICAT

AUCTOR

Schmerling.

OPTIMI RICHTATIS MEDICI

PROGRESSORIBUS

ANARCHIA COMMUNE ET SANCTA

Quid dicam de Medico, cuius est non solum multos animi morbos
curare, sed etiam illos corporis animi actione sanare?

DENZINGER.

In institutionibus logictis.



INTRODUCTIO.

Quum medicina sanitatis servandae ejusque restituendae media nobis subministrare debeat, medicus, dupli officio satisfactus non solum organorum status normales, eorumdem rationes, omnesque status abnormis formas et complicationes; sed etiam relationes mutuas, in quibus organa cum natura externa versantur, scire debet. Inde medicorum doctrina eo usque porrigitur, quo scientia naturalis omnis, quam omnem comprehendit, ut scilicet ea omnia vel conservare vel amovere valeat, quibus fit, ut vel directe vel indirecte functionum corporis humani harmonia vel conservetur vel perturbetur. Rebus ita sese habentibus, medicus, cui hominum valetudo traditur, vel officio vel proximi amore motus ad mala ægrotantium sublevanda vocatus, sine scientia late patente, neque remedia rite æstimare, neque sapienti prudentique consilio adhibere poterit.

Inde etiam fons malorum, quibus homo premitur, in scientia medica, quæ eadem est habenda ac scientia naturalis, positus est. Ut enim omittam morborum signa dignoscentem non raro illusionibus decipi, nonne diversa adhibebit remedia, prout scientia, qua ducitur, diversis principiis superstructa est, eumque in diversa trahit? — Anne mirum, si medicorum conamina omni capite discrepant, cum alii in scientia purum materialismum, alii vero spiritualismum sequuntur, ad mysticam rationem ducentem? Nemo erit, qui negare audeat, mala modo nominata a laudabili veræ

scientiæ condendæ studio originem ducere , quippe quæ nulla est , nisi singulæ doctrinæ medicæ partes ad unam revocentur rationem , eaque tamquam suo dijudicentur principio . Attamen jure quæritur : utrum scientia naturalis , hypothesibus superstruenda , eo perfectio- nis pervenerit , ut , hypothesibus in theses transmutatis , absolutæ scientiæ laude digna judicari queat ? Ad quam quæstionem cum non-nisi negative respondere valemus , facile perspicitur , qua fiat , ut in medicorum provincia systematum continua sit mutatio ? quomodo porro fiat , ut plurimi scientiæ speciem pro vera scientia habeant nubemque pro Junone amplexantes in novos continuo errores di- labantur .

Alius medicorum error in eo est , quod multi sint , qui multarum rerum utilissimarum ignorantia rem suam pessime gerant . Licet enim medicæ doctrinæ sui esse debeant limites , licet etiam , eos non laudem , qui credant medicinam adeo late patere , ut absque ver- tigine capi nequeat , si Vogelii verbis uti licet , tamen haud multi sunt , qui philosopham doctrinam omnem a se arceri præstantiæ ins- tar habeant , eamque præcipue partem negligant , quam recentiores philosophi inde a Wolfio *Psychologiam empiricam* nominant , hac sine dubio moti ratione , quod nimirum videtur , disciplinam extra medici provinciam , primo saltem aspectu docente , positam medico auxilia ferre non posse .

Est autem *Psychologia empirica* , ab *Ideologia* , quam recentiores Galli in metaphysics locum substituerunt , bene distinguenda , nihil aliud , quam animi humani naturalis historia , sola experientia duce cognoscenda sive , uti Wolfio placet , doctrina empirica eorum , que animo humano possibilia sunt . — Licet multum absit , ut in clar . Ca- banis sententiam descendam , quippe qui historiam naturalem corporis humani , eamque quam animi diximus historiam una eademque doc- trina comprehensas putat , tamen ex uno eodemque derivantur trunco , tanquam arboris unius et ejusdem rami . Quo per se sequitur , Psycho-

logiam medico omnino alienam esse non posse. Contrarium maxima pars medicorum censere videbantur. Cum enim philosophi Psychologiam traditam acciperent, nec medici semper philosophi; philosophi vero rariores medici essent, factum est, ut medici psychologicas veritates non raro ignorarent, multaque utili doctrina carentes rem aut omnino male aut saltem haud ita bene gererent, ac potuissent, si philosophorum aulas majori cum diligentia frequentassent. Quae res cum non raro pernicioissima evadat, haud alienum duco, singulari dissertatione inaugurali de studii psychologiae in medicina utilitate et necessitate pauca monere, hac ratione, ut dicendis quædam de animi in corpus, deinde de corporis in animum actione præmitterem.

DE ANIMI IN CORPUS ACTIONE.

NULLA est animi humani mutatio, nulla mentis nostræ operatio quæ in corpus magis minusve non agat. Ita lætitia moderata genas rubro colore suffundit, pulsus cordis fortior fit, respiratio facilior, omnes functiones denique melius peraguntur; immoderata vero pallore inducit omnesque tum animi tum corporis functiones turbat atque supprimit. Plura animi pathemata in organa quaedam modo speciali agere solent. Ita voluntas musculos illi subditos contrahit, tristitia lacrymarum secretionem promovet, in quavis passione cor diverso modo movetur, iræ motus aliter in tenerum infantem, aliter in foeminam irritabilem, aliter in hominem validum et robustum, aliter in hominem bona valetudine gaudentem, aliter in eundem morbo laborantem agit. Simul ac animi pathemate quodam movemur, facies decomponitur, ita, ut e physionomia elici possit, quo pathemate moveamur. Non solum facies, sed etiam tota ceconomia illius impressionem patiuntur, et quamvis homines culti hosce motus cæteris melius celare queant, tamen medicus eas peculiari studio prosequi debet, ut hominis cujuscunque animi sui motus coercendi potestatem dijudicare valeat.

Varii ceconomiae organicæ nostræ apparatus in sanitate et in statu morbido vario modo functiones suas exercent; apparatus nervosus atque circulatarius semper medicum ad detegendos animi motus melius quam cæteri ducere poterunt.

Cogitatio et functiones morales continuo exercitio suo corpori suam quasi tribuunt phisionomiam , ita , ut ab externa conditione ad internam qualitatem sufficiens valeat conclusio.

Hæc animi in corpus actio numerosissimis et certissimis demonstratur exemplis. Omnes enim animi operationes ratione intensitatis temporisque plus minusve corpori favent. Animi contentio nimia tum momentaneos , tum per totam vitam persistentes corporis morbos sæpius protulit. Quod ad cerebrum attinet , studiis nimium protensis , functiones suas omnino intermitit , iisdem modo impressiones recipiendi facultas cohicitur , modo actio in organa sensoria magis minusve supprimitur , modo memoriarum vestigia amittuntur , modo repræsentationum associatio confunditur etc.

Cl. Newtonius tanta melancholia studiis affici solebat , ut tantummodo blandissimis et lœtissimis amicorum colloquiis sanari posset.

Boerhaavius quum tota die materiam gravem meditatus esset , animi indifferentia et insomnio , per sex hebdomadas perdurante affectus est.

Idem fere Cl. Tissot , ob eamdem causam , accidit.

Maniam , animi contentionem nimiam consequentem præsertim apud homines imaginatione ardentи præditos domesticam esse , experientia docet.

Galenus etiam catalepsiam nimia studia secutam esse refert , ita quidem , ut æger videre et audire , sed minime moveri posset.

Nullum præter cerebrum tanta incommoda patitur organum ac ventriculus , qui in intima relatione cum illo versatur. Sic v. g. apud eruditos , qui raro in publicum prodeunt , motus peristalticus intestinalium retardatur , digestio difficultis et incompleta fit , cæterorumque organorum in abdomine contentorum vita imminuitur ; lente peragitur circulatio in hepate , in liene , atque inde horum organorum secretiones pathologicæ , et assimilatio incompleta , inde indigestiones , flatulentiae , obstructiones , hæmorrhoides , hepatis lienisque

vitia organica , indurations , congestiones encephali , omnesque morbi , quibus non parum favet vivendi ratio , qua uti solent.

Nimia animi exercitatio pluribus malis etiam manifestatur apud pueros , præcociori ingenio præditos , ideoque ingenii laboribus defatigatos , in quibus haud raro imbecillitas , stupiditas , corporis macies et debilitas , varique morbi nervorum observantur. Idem valet de adolescentibus , scientiis abstractis nimium deditis.

Studia ad multam noctem protensa eo , quod vires vitales diuturnis jam exhaustæ sint laboribus , corpori quam maxime nocere , nemo negabit.

Quum opus cum quodam fastidio molimus , ejusdem in corpus influxus eo magis nocivus evadet , quo magis istud fastidium sistema nervorum debilitare solet , quia hoc in casu animi contentio multo major esse debet. Non minus notatu digna est voluntatis in economiam nostram actio ; voluntas enim maximas ærumnas superare , imo mortem producere et retardare valet. Romanorum servi mortem sibi affreabant respirationem coercendo. Sensationes varias , quas experimur , voluntate imminuere valemus v. g. excretiones. Voluntatis actione famis , sitisque angores ad mortem usque superare possumus.

Repræsentationis ac imaginationis in corpus influxus etiam quam maximus est. Imaginatione fieri potest , ut absentes res adeo præsentes evadant , ut veræ animi affectiones exinde sequantur , quæ deinde eodem modo in organa nostra agunt , ac si rerum præsentium actione productæ essent. Quo acrior erit repræsentatio , eo major animi motus sequetur , eo major etiam in corpus impressio fiet. Mortui recordatio tantam vim quandoque acquirere potest , ut anima in statum , veritati proximum , imo illa superiorem , funestissimumque corpori devenire queat. *Palmerus* , Londinensis tragicus celeberrimus , postquam anno 1798 , uxore et filio intra breve temporis spatium privatus esset , summa animi ægritudine laborare coepit. Paucis hebdomadibus elapsis , personam incogniti in dramate Cl. Kotzebue , cui titulus :

Menschenbass und Reue» egit. Primis in dramatis partibus officium, ut solebat, optime implevit; sed in tertia valde motus visus est. Quum scenam intraret, atque *van der Horst* ab illo quæreret: et liberi tui? adeo filii mortui memoria affectus est, ut collaboreretur suspirium profundum edens, et brevi post animam mitteret. Ipsius ultima verba hæc fuerunt: *There is an otther und a better world:* datur alius meliorque mundus.

Imaginatione etiam morbos corporis, aut saltem easdem sensationes morbum concomitantes procreari posse, notum est. Boerhaavii discipulus quum celeberrimum professorem de morbo quodam disserentem summa cum attentione audiret, sibi ipsi morbum eumdem, eadem ratione progredientem cum iisdem symptomatibus contraxit, ita, ut morbus denique ad summum stadium apud illum perveniret, et post plures annos solummodo sanari posset.

Maternæ imaginationis influxus in foetum, etsi a pluribus negetur, attamen a pluribus comprobatur, et quidem a Cl. Cabanis, Wienholt Hufeland etc.

Quot denique non dantur exempla miserrima, quibus docentibus homines imaginariis ærumnis anguntur, donec corpus exhaustum occumbat?

DE CORPORIS IN ANIMUM ACTIONE.

Homo cerebri et nervorum ope mundi externi et organorum suorum in animum impressiones percipit. Impressiones illæ aut cerebri mutatione ab organis sensoriis, a mundo externo affectis productæ, aut a corporis totius, aut ab organorum peculiarium affectione primaria proveniente, aut denique propria et primaria ipsius affectione oriuntur.

Modi, quibus corpus in animam influit, experientia duce, stabiliri possunt sequentes.

Cum impressiones, mediantibus sensuum extenorū organis

in anima productæ, in ea sensationem, objecti actioni adæquatam producent, influxus organorum sensoriorum in animam per se clarus est. Idem vero sequentibus confirmatur. Ut justa sequatur animæ sensatio, organa sensoria statu normali gaudere debent; organa enim abnormalia impressiones externas male patiuntur, illasque imperfecta ratione in animum transferunt. Organis sensoriis in statu normali versatis, impressionibusque rite factis, si cerebrum in statu abnormali versetur, objecti impressio confusa aut omnino perversa ad animam deveniet.

Sensatio communis, quam anima modo obscuero percipit, in statu sano et morbido varia est. Corporis et quorundam organorum status varium animæ sensum tribuit, modo vividiorem, modo leviores, modo gratum, modo ingratum, prout organorum ipsorum status diversus est. Sensatio communis nobis invidiam, tedium et fastidium suscitare, sicque passiones excitare valet. Tanta est sensus communis in animum nostrum actio, ut modo læti, modo contenti, modo tristes, modo vitæ pertæsi, etc. evadamus. Quodsi hoc in casu in dispositionem moralem animi nostri inquiramus, illius causam non raro in corporis statu v. g. in fluidorum quantitate et qualitate, in corporum exterorum actione, in quorundam organorum in specie affectione positam reperiemus.

Cerebrum mutationum, ab organis, quorum sensibilitas modo speciali afficitur, provenientium sensationem accipit. Quo pluribus organum nervis abundat, quo propius est nervorum divisioni notabili, eo aciores ab animo percipiuntur impressiones. Quantum ventriculi et systematis portarum morbi, quantum organa genitalia in desideria nostra, imaginationem et sensum influant, satis superque constat.

Corporis bene se habentis sensus nos ad gaudium, ad tranquilitatem, male se habentis autem ad mœstiam, tedium et timorem disponunt. Virium corporalium conscientia nos fortes lætosque reddere solet. Summae irritabilitatis sensu animi vis augetur.

Corporis partes, pathematisbus saepius motæ, vicissim minima causa

physica agente , eumdem animi affectum reproducere valent. Idem valet de voluptatum physicarum abusu.' Namque repetita actione qua voluptas provocatur , nervorum in organo distributorum irritatio continua producitur , a qua si postea abstineas , cruciatus oritur , quem acriter persentit animus.

Qua cum vi corpus in annum agat , in genere ab impressionis physicæ intensitate , a cerebri nervorumque sensibilitate , ab animi in corpus imperio , ab ætate , temperamento , climate , vivendi ratione etc. pendere videtur.

Observationes generales de commercio mutuo animæ et corporis , experientia magistra factæ nobis mutationum et conditionum , quas una alteri imponit , dijudicandarum rationem subministrant.

Procul abest , ut me eum putem , qui medicinæ rationalis sive psychologicæ argumentum , cuius campus longius , quam vulgo creditur , patet , digna ratione tractare possit. Materia , de qua breviter disserere volui , observations sequentes enunciare permittit.

DE UTILITATE ET NECESSITATE STUDII PSYCHOLOGIÆ DOCTRINÆ MEDICÆ RESPECTU HABITO.

Si animi cum corpore mutuum commercium admittitur , uti admittendum esse vidimus , nonne medicus psychologicæ scientia profunda prædictus esse debet ?

Quum corporis mutationes , in animo mutationes , vel directe vel indirecte proferat , medicus hominem dupli sub aspectu solummodo considerans absolutam scientiam acquirere poterit. *Physiologia* ergo hominis moralis relationibus consueto plura tribuat necesse est. Namque in operibus , in quibus de corporis humani functionibus agitur , de animæ efficacia in corpore vix sermo est. In *Therapeutice* tum generali tum speciali pauca de mutua animi et corporis actione , pauciora de remediis psychologicis deprehenduntur. Multa loquuntur de temperamento eaque , qua ad hominem physicum pertinent , se-

dulo notant, quin de ægrotantis conditione morali , dum morbo existente laborat, verbum proferant; in eadem pluribus sectionibus etiam membranarum et organorum in cavo pectoris et abdominis status acuratissime describitur ; cerebrum vero , quoad formam et structuram intimam , persæpe silentio prætermittitur. *Medicina forensis* psychologiæ scientia profunda sæpissime eget , ut varias , gravissimi momenti , res enucleare queat.

DE UTILITATE ET NECESSITATE STUDII PSYCHOLOGIÆ HABITO PRAXEOS RESPECTU.

Sicuti doctrina medica sine psychologica scientia non perficitur , ita etiam medicus , eadem non munitus ægrotis sanitatem redditurus sanisve prosperitatem conservaturus parum valebit , sequentibus ex rationibus.

A

Plurimi dantur animi morbi , quos absque Psychologia medicus tractare nequit , etenim :

1°. Si tales dantur , qui remediis physicis sanari possunt , morborum istorum saltem natura rite cognita sit , necesse est.

Exempli causa sumamus melancholiā : morbus hic sub variis formis appareat , et modo a causis pure moralibus pendet , secundum quas in a) melancholiā religiosam , b) in daemonomaniam , c) in melancholiā cum perversione sensorii communis , d) in melancholiā anglicam , et demum e) in melancholiā amore productam seu érotomaniam , divisa est : modo melancholia hæreditaria est , modo a mentis evolutione mala , modo a functionum sensus mala directione pendet ; aliis vero in casibus , ab organorum vitiis originem ducere solet.

Cl. Kantius ad melancholiā pronus erat , eo quod cava^{ta} thoracica apud eum male conformata erat ; germine mali rite cognito , rationis vi illud feliciter expugnavit.

Quandoque animi pathemata , et quidem ea , quæ cerebrum excitant , ut amor , ira , vanitas , ambitio etc. , atque ea , quæ illum debilitant , ut infelix amor , pudor , cura , nostalgia melancholiā producere valent.

Studia nimis protensa , unius ejusdemque facultatis justo longior exercitatio , veluti meditatio de eadem materia , præsestim philosophica aut theologica diutius protracta melancholiā necessario causant.

In causis physicis deprehenduntur narcoticorum usus continuus , v. g. opii , hyoscyami , stramonii , belladonæ , aëris vicissitudines etc.

Hujus morbi ad curam quod attinet , medicus , qui in corpus solum , animi immemor , attentionem convertit , nunquam medelam felicem instituere poterit ; remedia psychologica medicamentorum catervæ sæpius inutili anteponenda sunt. Cura psychologica in radicalem et palliativam seu morbi effectum cohibentem dividi potest

Cura radicalis sive morbum omnino tollens sic instituenda est. Vera status sui idea ægro addatur illi persuadendo , morbum , etsi in vitio corporis sedem habeat , tamen periculosum non esse , ac sibi finiat ; ideas , quibus vexetur , morbi et sympathiæ esse sequelas. Nunquam non successu carebunt medici ita loquentis verba ; æger enim sibi persuasum habebit , rem revera ita se habere , ut medicus assent. Multum jam profecit , si ab ægro ideas , sanitatem desuentres avertere potuerit , cum statum suum placide examinare valeat ; morbus denique evanescet imaginatione acriore ad æquum reducta.

Sunt , qui ægrotantium questus leviter et cum fastidio audire solent , illisque statum imaginarium et minus notatu dignum exhibeant. Attamen pessime agunt , namque cum corpus cum anima patitur , et æger se pati sentit , medicus dolorum veritatem negans fiduciam ægroti tollit , moestiamque et anxietatem auget , ita , ut se prorsus insanabilem credat. « Hosce morbos imaginarios habere , ægris iram suscitare , illosque in opinionem deducit , amicos miseriam suam ac

» valetudinem parum curare , quapropter tristiores evadunt . Quo
» facto demum ipsorum melancholia augetur , malumque vetus gravius
» evadet « merito docet Falconer (1) . »

Remedia morbi effectum cohibentia hæc sunt : solitudinem æque
ac otium sedulo fugiat ægrotans , imo , vigente paroxysmo , nisi for-
tior sit , res suas non deserat ; spectacula , concentus musicos , lœta
colloquia , æQUITATIOn etc. optime curationi inserviunt cum imagina-
tionem modo grato moveant .

Opera medica et hominum , eodem ratione affectorum aspectus ,
ab ægroto arceantur . Namque hac in affectione libri omnes ad mor-
bum spectantes ab ægris vulgo desiderantur , licet mala , quæ in illis
descripta vident , sibi fingendo , tribuant , aut malum ipsum , quo af-
ficiuntur , multo gravius et periculosius habeant . Non possum non hoc
loco monere , quantum mali humanitati afferant medici quidam ,
alio nomine magis digni , operibus sic dictis de medicina popu-
lari edendis , et quantum exinde vera scientia detrimenti capiat !
Idem fere dici potest de præscriptionibus , quas alio sermone quam
latino in codicibus medicis reperire licet , quippe e quibus plurima
mala enascuntur .

Ægrotantes , quantum fieri potest , cum iis , qui eodem morbo
jam laboravere , societatem inire statui eorum optime convenit ; ho-
rum enim exemplum in anima tristi lætitiam excitat iisque multum
solatii affert .

Omnia animi pathemata , quæcunque sint , eo gradu , quo systema
nervorum nimis fortiter movent , vitanda erunt .

Præ cæteris medicus ægrotantis fiduciam sibi conciliare studeat ,
questus ejus attento animo exaudiat , neque longiore morbi narratione ,
tædium sentire videatur ; modo gravi , modo blando sermone ægrum
alliciat ; ut non solum illius ; sed etiam circumstantium omnem

(1) De l'influence des passions sur les maladies du corps humain traduit de
l'anglais , par de la Montagne .

fiduciam possideat, ut ipsi dolores maxime latentes revelare audeat, valde curandum.

Ejusdem ideis, quantum fieri potest, haud est obstandum, si versus morbum convertantur, attamen sagaciter et gradatim illius attentio versus alia objecta jucundiora dirigenda. Si relationes externæ, in quibus ægrotus versatur, omnino mutari possint, veluti clima, domicilium, professio etc. non negligenda erit ista mutatio.

Insaniæ, epilepsiæ etc. rarius causis physicis, quam omnibus iis proferuntur, quæ in animum directe agunt, quo pertinent passiones, imaginatio, meditationes profundæ philosophicæ, metaphysicæ atque theosophicæ etc.

Remedia physica, contra illas affectiones adhibita ad unum omnia, irritabilitatem in systematis nervorum sphæras, mediam scilicet et infimam colligendo modo revulsivo agunt.

Quum morbi isti e causis physicis præcedentibus minus pendant, quum ipsarum cause persæpe in animi ipsius laesione positæ sint, per se sequitur, remedia psychologica etiam optimo cum successu applicari posse.

Licet in curandis cæteris denique animi morbis, vesania, desipientia etc. dictis auxilia physica non negligenda sint, tamen psychologicas notiones ad earum naturam cognoscendam, ideoque medelam congruam stabiliendam maxime proficias esse, jure asseritur.

2) Plures dantur animi morbi, quos solis remediis psychologicis curare possumus. Quod quo jure dicam, continua probat experientia. Si ægrotus, frustratis ambitionis consiliis, vitæ male actæ conscientia, malorum futurorum timore, infelicitis amoris moerore perturbetur, quæcumque a medico ægris offerantur non recipientur, blanda amici colloquia multo magis proderunt.

B

Si medico morbi physici occurrant, non raro remediis aut pure

psychologicis , aut cum remediis physicis combinatis ipsi utendum est.

Remedia psychologica 1) ab imaginatione , 2) ab affectibus , aut
3) a voluntatis actione desumuntur.

Imaginationis vis dupli ratione in morbis sanandis adhibetur.
1°) Si actiones quædam , aut alia , quæ in se nullam vim possident ,
in usum vocentur , addita ipsis proprietatum competentium enumera-
tione , et morbi sanationem promptam pollicendo .

Hac ratione empirici , pluresque medici miraculorum conditores
remedia sua , quorum efficacia ipsis solis cognita est , laudere soleant.

2°) Si ideæ animum fortiter moventes in ægro excitantur. Dicta probat medela , qua usus est Cl. Boerhaavius , ut epilepsiam e nosocomio pupillorum quod Harlemii est , expugnaret. Puella epilepsia correpta omnes ejusdem nosocomii puellæ , irritis omnium medicorum co-
naminibus , eodem morbo laborare cooperunt. Boerhaavius advocateus , omnes puellas in eundem locum compellit , et cauteriis incanden-
tibus paratis , primæ quæ epilepsia corriperetur , ad os usque brachii
loco indicato inustionem minatus est , quo facto , terrore magno omnes
invadente , nulla prorsus malo isto affecta est.

Animi pathemata potentissimum etiam nobis præbent auxilium.
Nullum autem tantam animi nostri cognitionem ac hujus remediis
usus exposcit.

Quo gradu et qua ratione curationis modi adhiberi queant , a casibus
peculiaribus pendet. In genere , summa prudentia medico opus est ,
neque illorum usui acquiescere debet , nisi postquam omnia tentata
fuerint incassum.

Passiones excitans nonnunquam etiam ægrotanti obtemperet , a
turpibus suscitandis abstineat. Animi pathemata , quæ ab illo mo-
veri possunt , timore , lætitia , desiderio etc. continentur.

Vis voluntatis maximo cum successu adhiberi potest. In quibus-
dam morbis dolores v. g. mitigari possunt , si agente voluntate ,
attentio ad representationes lætiiores aut ad objecta gravioris momenti
convertitur.

Sensationes quædam morbide sola voluntate debellari poterunt, si ægrotantes vires omnes quasi colligant, atque organorum non affectorum activitas suscitetur. Corporis partem, paralysi a nervorum statu dynamico producta affectam, ocios tardiusve, voluntatis actione forti et protensa, motam vim recuperare posse, experientia docuit.

Ut in omni medicina practica non eadem semper, vel in eodem morbo, pro variis ægrotantibus curandi ratio adhibenda est, ita præcepta generalia nullibi tot exceptiones ac in medicina psychologica patiuntur.

Remediorum psychologicorum in synocha ex. g., quacumque causa orta administrandorum præcepta hæc sunt : Non solum omnia, quæ sensus acriter movent; sed etiam consueta et moderata lux, colloquia alta voce inita, corpora omnia odorifera, quibus cum ægroti quies haud conciliatur, sedulo amoenda sunt, ideoque circa illum omnia in tranquillo versentur, neque tabulæ, neque specula in ipsius conclavi relinquantur, animi pathemata etc. æque fugiantur. Quæ de morbis, physicis remedii psychologicis debellandis dicta sunt, plurimis confirmantur exemplis, v. g. febri intermittente, nervosa. In epidemias medicus præsertim animi statui peculiari modo studeat, immo iniquum est, si medicus psychologica illo in casu negligat.

C

Medicus non solum corporis, sed etiam animi diætam, climatis, temperiei, sexus, ætatis, consuetudinum, professionis, religionis etc. habita ratione, instituere debet.

Multa hanc materiam concernentia adhuc apud auctores desiderantur. Quis est, qui ignoret vim morbos producendi, quæ animi passionibus est? Omnes fere morbi investigandi essent, si examinare vellemus, qua ratione animi motibus variis in casibus ad morbos sanandos utendum sit?

Quum affectiones graves v. g. ira, pavor, curæ, timor animum debilitant, brevi apud eos, qui fortiores sunt, prædispositio oritur,

quæ cum causis physicis combinata morborum epidemicorum gravissimorum causa evadere potest.

Cl. Rasori Epidemiam, quæ anno 1799 ad annum 1800 Genuæ grassata est, nonnisi irritatis animis Genuensium plus quam uno respectu tribuit.

Præsertim, invadente mortales peste, omnia, quæ animum integrata ratione afficiunt, amovenda sunt. Namque epidemiarum historia testatur, animi sensum efficaciam contagionis in corpore fortiorum reddere, timidosque morti facillime succumbere.

Ægrotantes æque ac ii, qui bene se gerunt, in majori discrimine versantur, si morbus nomine celebriore v. g. peste, febri flava, designatur, ita quidem, ut sola denominatione timor vel viris fortioribus iniciatur, licet ad sententiam eorum non accedam, qui morborum pestiferorum causam in eo positam esse censeant. Namque licet timor mortales ad morbum componat, tamen eundem morbum nequaquam producere posse, observatione demonstratum est (1).

Inde in casu proposito, diæta psychologica sic a medico insti-tuenda est, ut attentio eorum, qui bona valetudine adhuc fruuntur, ab horroris et moestitiae objecto avocetur, inque ea dirigetur, quæ animi spem, fiduciam et malorum imminentium contemptum proferre possunt, quod quomodo fieri debeat, epidemiæ natura, populi indoles relationesque politicæ medicum doceant, necesse est.

Simili ex ratione etiam eos, quibus disciplina medica demandata est, curam habere oportet, ut omnes, qui morbis fœdis laborant, virtuisque attentionem et imaginationem fortiter moventibus deformantur, a locis publicis amoveantur, cum constet, eorumdem aspectu mulieres gravidas hominesque perquam irritabiles magnum discrimen incurrere posse.

Similiter campanæ, ad hominum mortem nuntiadam agitandæ non sunt. Namque campanarum sonitu animus, secunda fortuna

(1) Caroli de Mertens, observationes medicæ etc. Vindobonæ.

utens ad lætitiam fertur ; ægrotantium vero animi pessime afficiuntur si quid tristius admuntetur , v. g. amicorum , cognatorumque aliorumve mortem , eo magis , quo clarius est , ne a prudentissimo quidem celari non posse , cur campana agitetur . Funestissima erit illa consuetudo , si campanæ , grassante epidemia , propter majorem defunctionum numerum sæpius agitantur .

Quum medico ægrotantium saluti consulendum sit , ipsique morbi exitus prævidendus , etiam ultima religionis officia , si morbus vitæ finem minitatur , ab eo dirigenda sunt .

Luigi Angeli , Italus , a medico morbi periculum ægrotanti celandum non esse , immo secunda tertiale vice ægrum ab illo monendum , ut ultima religionis solatia tempestive accipere atque omnia , quæ ad familiam spectant , ordinare queat , contendit . Cum vero præcepta generalia hac in re indicare certe difficillimum esse videatur , procul absit , ut ad auctoris Itali opinionem accedam .

Multum etiam abest , ut eorum sententiam probem , qui defendunt , primum animæ , dein corporis curam esse habendam ; primum enim officium , quod nobis incumbit , hoc est , ut nihil agamus , quo vita , a creatore rerum nobis data in discrimen perducatur , quod vero quam facillime fieri poterit , si animarum pastores , non consultis medicis , officio suo satisfacere conabuntur .

Si ægrotans in magno vitæ periculo versatur , nec cognati et reliqui adstantes , nec ipse ægrotans sine omni ad existentes eorum affectus respectu edocendi sunt , quomodo sese res habeat .

D

Psychologiæ scientia ad vitandos in medicina errores multum confert .

Non solum magnetici et mystici , qui vocantur , sed etiam miraculorum editores , quales v. g. nostra ætas in Germania vidit , certe numquam tantam adepti fuissent famam tantamque efficaciam , si medici

psychologica scientia uberiore imbuti fuissent, eoquod phœnomena, a plebe causis supernaturalibus tributa principiis psychologicis explicassent atque superstitionem a rebus medicis amovissent. Pharmacopolæ circumforanei, rei medicæ jactatores, planeque omnis generis præstigiatores non solum scientiarum physicarum et historiæ naturalis progressibus, sed etiam psychologiæ studio expelluntur.

E

Ipsa historia usum psychologiæ in medicina practica confirmat.

Si medicinæ originem perscrutemur, morborumque sanandorum rationes antiquissimis temporibus usitatæ consideremus, nos fugere non poterit, sacerdotes, qui primo artem medendi soli possidebant, animi in corpore efficaciam rationesque sanandi, inde desumendas optime dignovisse atque adhibuisse. Eo tempore, quo vulgus naturæ leges omnino latebant, eidem ægrotos curandi rationi sine dubio justo plura tribuebantur. Ægyptiorum, Græcorum et Libyorum historia monstrat, quanta cum fiducia Appollinis Delphici Jovisque Ammonis oracula adire soliti sint. In genere nulla est gens, quæ religione ad sanandos morbos nullum tribuerit momentum. Quomodo vero religioni aliquid ad sanandum corpus momenti esse potest, nisi mediante sensu, cum omnis e sensu nostro pendeat? Quomodo vero sensus agere potest, nisi tum imaginationis tum intellectus actione excitetur, atque ita corporis sanatio psychologicis mediis proferatur?

Magnetismus animalis ad antiquissimas scientiarum empiricarum pertinet. Sacerdotes Chaldæorum manuum impositione morbos sanabant. Statuæ Ægyptiacæ in situ magnetici, versatae personamque sedentem, cui manus epigastrico et dorso applicantur representantes, somnus in templis, phœnomenaque similia magnetismum maximo honore habitum esse, probant.

Simili ratione primi Græcorum medici in templis rem gerebant.

Licet enim otio , locorum salubritati , coeli temperiei , lotionibus , jejuniisque multa tribuerent , tamen cantu , oratione , actionibus symbolicis , imaginatione , miraculorum expectatione , somniis rite interpretandis , animoque ad fidem habendam componendo infinita perficere studebant , quod eo facilius fieri poterat , cum illo tempore maxima pars mortalium morborum originem numini divino adscriberent atque persuasum haberent , eosdem sanari non posse , nisi numinis divini interventu.

Dicat forsitan aliquis : anne ergo ad perversam istam sanandi rationem , relicta præstantiore , redeamus ? Licet clarum sit , ad hanc quæstionem negative respondendum esse , tamen et hoc negari non potest , maximis ingenii humani erroribus non raro maximi momenti veritates subesse . Quæ cum ita sint , quid impedit , quominus veritate , sub errore latente , ad generis humani prosperitatem promovendam utamur , ita tamen , ut errori non obnoxii ab aviis atque deviis caveamus ?

Simili ratione etiam medicæ doctrinæ apud Græcos fundatores rem habebant . Licet enim antiquam rationem rejicientes medicinam naturalibus principiis superstruerent , tamen non raro etiam animæ in corpore efficacie multa tribuere solebant .

Cornelius Celsus (1) primus morborum distributionem et curam psychologicis notionibus stabilire conatus est . Post Celsum , Aretæus , Aurelianus , Oribasius , Aetius , Alexander Trallianus , etc. considerationibus profundis viam postea tam feliciter exultam aperuerunt .

Nova incrementa medicina psychologica a cl. Lorry (2) consecuta est , cuius vestigia Arnold (3) Perfect (4) aliisque in Anglia ; Chiarugi (5)

(1) Celsus de re medica libr. octo.

(2) A. B. Lorry , de melancholia et morbis melancholicis.

(3) Th. Arnold observations on the nature , kinds , causes and prevention of insanity , etc,

(4) Perfect select cases of insanity.

(5) Chiarugi , della Pazzia in generale e in specie tratato med. anat. con una centuria di osservazioni.

in Italia ; Dufour (1) et Tissot (2) in Gallia ; Weickard (3) in Germania secuti sunt.

Ineunte seculo decimo nono , eidem novam faciem a Pinel, Reil, Hoffbauer, Brandes, Heimroth, Sandtmann, Nassé, Cox, Marchal, Fodéré, Anceaume, laboribus suis attulere , quibus quantum, quod ad Nosologiam et Therapiam attinet , consecuti sint, ætas nostra novit.

Optandum fuisset , ut Alibert , medicus apud gallos celeberrimus doctrinam de passionibus , passionum , affectuum et qualitatum moraliū distinctione , uti decet , instituta , principiis physiologicis potius , quam instinctibus superstructam ita exposuisset , ut passionibus optime descriptis ea adderentur , quæ medico , ægrotorum prosperitatí consuētū vere utilia sunt.

Si medicinæ psychologicæ historiam perlustremus , videre licebit , eam in principio non solum observationibus nosologicis sed etiam remedii certis caruisse ; eandem vero præstantiore psychologicæ studio , eo perfectionis perductam esse , ut omnia , quæ miracula olim habebantur , scientiæ psychologicæ perfectioris principiis explicari possent. Nostra ætate , citissime ad summum perfectionis evecta est gradum , propterea , quod aliis medicinæ partibus juvaretur.

Ut vero historiæ naturalis , scientiarum physicarum studio , anatomiae , et scientiæ profundiori , quibus omnis ratio eorum , quæ in corpore fiunt , reperitur , medicinæ perfectio tribuenda est , ita psychologicæ , quæ animi operationum notitiam subministrat , nobis etiam remedia una cum physicis auxiliis morbis corporis opponenda exhibet , eaque sola functionum intellectus statum abnormem atque rationes quibus , earum perturbationi occurrere possumus , indicat.

(1) Dufour , sur les fonctions et les maladies de l'entendement humain.

(2) De l'influence des passions de l'âme dans les maladies.

(3) Weickard , des philosophische Arzt.

T H E S E S.

I.

Medicinæ fundamento sunt philosophia et historia naturæ.

II.

Medicus veræ theoriæ peritissimus artem medicam etiam optime exercet.

III.

Morbi chronicæ et acutæ essentiali charactere distingui non possunt.

IV.

In morbis saburralibus sic dictis materiam evacuare in initio unicum est remedium.

V.

Aquaæ frigidæ in combustione aliis anteponenda est applicatio.

HIPPOCRATIS APHORISMI.

I.

Ad extremos morbos extrema exquisite remedia optima.
(Sect. I aph. VI).

II.

Morborum acutorum non omnino certæ sunt prædictiones , neque mortis , neque salutis.

(Sect. II aph. XIX).

PROPHET

VI

laquelle l'ordre de la morte est délivré au prophète.

VII

Lequel écrit le prophète distingue deux sortes d'ordre :

VIII

l'un qui est donné à la morte et l'autre qui n'est pas donné.

IX

Il distingue deux sortes d'ordre :

X

la morte qui est donnée à la morte et la morte qui n'est pas donnée.

TYPE ET HISTOIRE

XI

La morte qui est donnée à la morte est celle qui est donnée à la morte.

XII

La morte qui est donnée à la morte est celle qui est donnée à la morte.

(XII, 1, 1958)

ULg - C.I.C.B.



708600692

LIBER

